

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Q. Horatii Flacci Opera Omnia, A Pet. Gvalt. Chabotio Viro In Omni Literatvra Perfectissimo, Admiranda Ingenij & Iudicij dexteritate, eruditionis varietate, & linguarum elegantia, triplici artificio ...

Horatius Flaccus, Quintus

Basileae, 1615

Vita Horatii Flacci ... Suetonio attributa

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1488](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1488)



  
**Q. HORATII FLACCI VITA E VE-**  
**TVSTO QVODAM EXEMPLARI EX-**  
 scripta & Suetonio attributa.

**Q** Horatius Flaccus Venusinus patre, vt ipse quidem tradit, Libertino, & exactio-  
 nitum coactore: vt verò cre-  
 ditum est, salamentario, quum illi quidam ex altercatione exprobrasset, *quoties ego vidi patrem tuum*  
*brachio se emungentem?* bello Philippensi excitus à M. Bruto Imperatore, Tribunus militum meruit,  
 victisq; partibus, veniâ impetratâ, scriptum Quæstorium comparauit: ac primò Mæcenati, mox Augusto in  
 gratiam insinuat, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit, Mæcenas quantoperè illum dile-  
 xerit, satis demonstratur illo Epigrammate:

*Ni te visceribus meis, Horati,  
 Plus iam diligo: tu tuum sodalem,  
 Minno me videas strigiosiore.*

Sed multò magis extremis, tali ad Augustum eclogio:  
*Horatii Flacci, vt mei, esto memor.*

Augustus Epistolarum quoq; ei officium obtulit, vt hoc ad Mæcenatem scripto significat: *ante ipse sufficiebam*  
*scribendis Epistolis amicorum: nunc occupatissimus & infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista para-*  
*frica mensa ad hanc regiam, & nos in scribendis Epistolis adiuuabit.* ac ne recusanti quidem aut succentiuat quicquam,  
 aut amicitiam suam \* suggerere destitit. Exstant Epistolæ, è quibus argumenti gratiâ pauca subieci: *Sume tibi*  
*aliquid iuris apud me, tanquam si conuictor mihi fueris, rectè enim & non temerè feceris: quoniam id vsus mihi tecum esse volui,*  
*si per valetudinem tuam fieri possit, & rursus tui qualem habeam memoriam. poteris è Septimio quoq; nostro audire: nam inci-*  
*dit, vt coram illo fieret à me tui mentio. Neg, enim si tu superbus amicitiam nostram spreuisti, idèd nos quoq; \**  
*id est, vicissim superbimus. Præterea sæpe eum inter alios iocos putillimum penem & homuncionem lepidissi-*  
*imum appellat, vnâq; & alterâ liberalitate locupletauit. Scripta quidam eius vsq; adèd probauit, mansurâque*  
*perpetuò credidit, vt non modò seculare carmen componendum iniunxerit, sed & Vindelicam victoriam Ti-*  
*berii Drusique priuignorum suorum: eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo inter-*  
*uallo quartum addere: post sermones verò lectos nullam sui mentionem factam ita sit questus: Iratum me tibi*  
*scito, quòd non in plerisq; eiusmodi scriptis mecum potissimùm loqueris. An vereris, ne apud posteros insane tibi sit, quod videar-*  
*is familiaris nobis esse?* Expressitq; Eclogam, cuius initium:

*Quum tot sustineas, & tanta negotia solus:  
 Res Italas armis tuteris: moribus ornes:  
 Legibus emendes in publica commoda peccem,  
 Si longo sermone morer tua tempora Casar.*

Habitu corporis breuis fuit, atq; obesus, qualis & à semetipso in Satyris describitur, & ab Augusto hac Epi-  
 stolâ. *Pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne accusem breuitatem, quantuluscunq; est, boni consulo. Vereri autem*  
*mibi videri, ne maiores libelli tui sint, quàm ipse es: sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaq; licebit in sextariolo scri-*  
*bas, quum circuitus voluminis tui sit dyuolègatos, sicut est ventriculi tui.* Ad res Venereas intemperantior traditur. Nam  
 speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita, vt quocunq; respexisset, ibi ei imago coitus referretur.  
 Vixit vt plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tarentini: domusq; eius ostenditur circa Tiburni Luculum.  
 Venerunt in manus meas & Elegi sub eius titulo, & Epistola prosâ oratione, quasi commendantis se Mæce-  
 nati: sed vtraq; falsa puto. Nam Elegi vulgares: Epistola autem obscura: quo vitio minimè tenebatur. Natus  
 est sexto Idus Decemb. L. Cottâ, & L. Torquato Consul. Decessit quinto Kal. Decemb. C. Mario Censorino, &  
 Caio Asinio Gallo Consul. post nonum & quinquagesimum annum, herede Augusto palàm nun-  
 cupato, quum virgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti  
 tabulas & conditus est extremis Esquiliis iuxta Mæcena-  
 tis tumulum.

